

S. Joannis ad literam usurparent. Sed nunquam Ecclesia Catholica superstitiones illas & singulares caeremonias admittit. Quamvis autem certum ejus Textus sentium, Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne, nullum determinaverit, permittit singulis facultate intelligendi sententiam, sive de igne Purgatorii, sive de tribulationibus & malis hujus vitæ; semper tamen eorum

sensum improbat, qui de materiali aliquo igne in administratione Baptismatis necessario dictum interpretati sunt.

De Baptismo Jesu Christi nomine collato singularem Dissertationem in Commentario super Acta, & de Baptismo pro mortuis alteram in Commentario itidem super primam ad Corinthios dedimus.

# DISSERTATIO

## DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

**Q**UÆ huic Dissertationi argumentum præbet difficultas, tanquam omnium maxima & majoris momenti, quæ in Scriptura uspiam occurrant, à S. Augustino reputatur (a); cui nonnumquam etiam accedit suffragium, solâ spectatâ sententiarum, quæ Patres & Interpretes inter se committit, varietate. In prorsus enim quibusque facile convenitur, eoque satis certo indicio quætionis alicujus ambiguitas proditur, si in varias sententias abitum est. Duo igitur in præsentia disquirenda sunt. 1. Quæ in dolis & natura peccati in Spiritum Sanctum. 2. Quo sensu nunquam in hoc mundo, sed neque in altero, remitti crimen illud dicatur.

a Aug. Serm. olim. 11. nunc 71. n. 8. Foris in omnibus Scripturis nulla major quaestio, nulla difficilior invenitur.

b Epist. 4. ad Serapion. n. 8. 9. 10.

c Origen. in Jo. to. 2. edit. Huet. pag. 359.

nam. Cùm verò Fidelis aliquis culpam admiserit, in Spiritum S. peccat, nec veniam meretur. Quare irremissibile ejus crimen censendum.

Verbis quidem aliquantum discrepat Theognostus, reapse tamen consentit. Quicumque, ait, primum & secundum aggerem transgessit, nempe jussionis Patris vel Filii transgressus est, veniam tamen petens impetraverit. Quem autem tertium vallum non coeruerit, nempe præceptum quod sibi Baptismate jam initiato datum est, nulla illi veniæ spes superest. Pater & Filius imbecilles & imperfectos docent; Spiritus S. perfectos. Cùm prioribus vigor remissus agendum, in alios justitiæ vigorem exerendus est. Hæc porro moribus Ecclesiæ primorum sæculorum satis consonant; cùm scilicet crimina post Baptismum commissa non nisi ægrè & post diuturnam admissam poenitentiam condonabantur.

Neutram ex his interpretationibus probat S. Athanasius; scitè enim observat, Phariseos, quos Jesus Christus alloquebatur, ab ejus Baptismate alienos, nihil æque potuisse eorum, quæ ab illo dicebantur, neque ex eorum esse poterant numero qui crimen in Spiritum S. committere, jure meritoque reputari potuissent; cùm illorum scelera potissimum Jesum Christus suggillaret. Addit pariter, vix in eo Textu agi de criminibus tantum post Baptismum admissis potuisse; unde enim alioqui, ait, Apostolus nec veniam Corinthiis incestuosis (d), neque prævaricatorum Galatiæ (e), non desperatur; unde Novati dogma fores poenitentia & veniæ peccantibus post Baptismum claudens rejicit Ecclesia? Ad Textum Apostoli quod spectat, quo scilicet peccatum post Baptismum admittentes nunquam renovari posse per poenitentiam asseritur, S. Athanasius, & plerique ex Patribus contendunt, nunquam fieri potuisse, ut qui semel post Baptismum prolapsi sunt iterum, novo Baptismate à priori non dissimili reventur; nunquam enim Ecclesia juxta hanc S. Pauli definitionem, alterum à priore Baptismate vel probavit vel toleravit.

d 2. Cor. 11. 10. e Galat. 4. 19.

f Epist. 4. ad Serap. n. 12. Vide & Serm. in Matth. to. 2. oper. nov. Collect. Vet. PP.

Contendit igitur S. Athanasius (f) crimen

men in Spiritum S. ipsum esse Pharisæorum, & similis farinae hominum, crimen, qui in lectione Scripturæ versatissimi, nullumque habentes ambigendi locum, ut de Jesu nil nisi probum reclamque suspicarentur, ejus tamen opera malo spiritui deputabant, malo consilio suo id præstantes, ut Deum concedere Dæmoni locum cogere, nihilque amplius potestatis Filio Dei, quàm Dæmoni permetterent. Quamdiu cum assumpta à se hominis natura res erat, injurias omnes æquo animo Jesus toleravit, excusavit ignorantiam; cùm verò opera, quæ à Deo ipso præstabantur, quæque unicum autorem S. Spiritum præferebant, ad malum spiritum detorqueri intelligeret, reos æterni supplicii illos pronuntiavit.

Ceterùm quod peccata in Filium hominis remitti, irremissa vero damnari crimina in Spiritum S. asseruntur, non ita reputandum est, quasi S. Spiritus Filio major habeatur; ambo enim in unam coalescentes naturam, unum eundemque Deum constituunt. Id ergo tantum insinuat, prolata in Spiritum S. blasphemiam grandius esse, quàm si in Filium pronuntiaretur, scelus & crimen. Quicumque enim in Filium effutitur humanam ab ipso susceptam naturam injuriâ afficiunt, quemadmodum constanter observat S. Athanasius; sed in Spiritum Sanctum blasphemiam ipsam Dei naturam probro ducunt, & contemptui. Porro ad advertendum juvat, nomine Sancti Spiritus à S. Athanasio Divinam Verbi naturam reddi; quæ loquendi phrasim apud veteres PP. obtinet. Addit, Magos Pharaonis, quos religio ipsa, & professio exercebat, minoribus tamen præ Phariseis tenebris obvolutos fuisse; inspectis enim prodigiis à Moyse patris, Dei in illis opus agnoverunt (g); cùm interim Pharisei prodigia Jesu Christi suis oculis obversantia, ad Magiam & incantationes detorquebant. Non abs re itaque Christus omnem illis veniæ spem tum in hoc mundo, tum in altero futuro prædidit. Ad quem enim illis confugiendum esset, si Divinam à Filio naturam abjudicarent? Quam sibi vitam, quam felicitatem reliquam fecerant, qui vitam, veritatem, & viam Cælorum recusaverant?

g Exod. 8. 19.

h In Matth. e. 12. & c. 31. n. 5. i Theophyl. Antioch. Comment. in Evangel. lib. 1.

rat. Idem, nec obscurè, insinuat pluribus in locis S. Athanasius (h), docens neminem veniam rogantem vacuum à Jesu Christo remitti, nec blasphemum quidem; sed qui in crimine perseveraverit, illum damnari; namque, ait, condigna poenitentia omnia delet peccata.

De peccato in Spiritum S. non semel mentem suam prodidit S. Augustinus. Cùm semel illi excidisset (I), scelus illud in eo potissimum constituit, quod fraternam charitatem invidiâ, iniquitate, impeteretur; ad jiciendum his censuit in Retract. lib. 1. cap. 19. peccatum illud tunc potissimum effici irremissibile, cùm pessima hæc cordis habitudo ad extremum usque spiritum perseverat. Et in Exposit. Epist. ad Rom. n. 14. Ille peccat in Spiritum S., ait, qui desperans vel irridens, usque contemnens, prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, & pacis, per quam reconciliamur Deo, detrectat agere poenitentiam de peccatis suis, & in eorum impiâ atque mortifera quadam suavitate perdurandum sibi esse decernit, & in finem usque perdurat. Eadem alibi repetit, atque constans est Augustini sententia: Peccatum in Spiritum S. nullum intelligitur, nisi perseverantia in malignitate cum desperatione indulgentiæ Dei (m). Ad dit, nemini hominum permitti, ut de alicujus hominis superstitis poenitentia desperet, cùm diviniæ miserationis thesauri tam immensâ beneficiorum copiâ redundent, ut qui hodie obfirmato in malitia est animo, cras tangi possit & ad Deum inclinari. Stavit proinde evitandam esse mentem in malo obfirmatam, inhærendum Ecclesiæ, cui uni remittendorum criminum potestas demandata est, ut criminis in Spiritum S. venia tandem impetretur.

Porro crimina in Spiritum S. plura & varia distinguit (n), ut negantium Ecclesiæ, divinitatem S. Spiritus, sicut & eorum qui prodigia Jesu Christi ad incantationes detorquebant. Ex his tamen criminibus nullum reipsa veniam excludit, nisi unâ exceptâ finali impoenitentia. Refutat pariter idem vir sanctus Origenem, ceterosque, autumantes crimina post Baptismum admissa blasphemias esse in Spiritum S. defendit autem, nec immeritò, Jesum Christum nullum peculiare crimen, sive Christianorum tantum sive Judæorum suggillasse, sed ejus potissimum generis crimen reprehendisse, quod omnes pariter homines committerent; crimen non difficilis tantum veniæ, & indulgentiæ, sed prorsus irremissibile. Porro nullus est criminis desperanda venia, nisi finalis tantum impoenitentia; cùm Ecclesia pro resipiscentiâ peccatorum omnium preces exhibeat, horteturque omnes, ut tandem ad bonam frugem redire satagant. Hoc de peccato in Spiritum S. universum S. Augustini systema, quod post S. Doctorem ceteris in Ecclesia Latina pluribus arrisit.

S. Joannes Chrysothomus hom. 42. in Matth. & Author Operis Imperfecti in Matth. hom. 31. sub S. Chrysothomi nomine vulgatus; S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Ep. 59. alique plures in eo crimen in Spiritum

k Serm. in Matth. to. 2. nov. Collect. Vet. PP. Ita & de communi essentia, & respons. ad qu. 12. ad Antioch. & fragm. in Comment. in Matth. tom. 1. par. 2. l Aug. l. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 22.

m Aug. Ibid. n. 21. Vide & Serm. 71. nov. Edit. num. 20. & c. Et Ep. 85. nov. Edit. n. 5. Hoc peccatum est duritia cordis usque ad finem vitæ.

n Aug. Serm. 71. n. 8. 9. & 10.



tum S. constituunt, si prodigia Jesu Christi Dæmonis operationi tribuantur; quod autem veniam difficile impetret, ideo irremissibile appellatum arbitrati sunt. Ita ergo locum S. Matthæi paraphrasi exponit S. Chrysostomus: *Multa jam adversum me calumniati estis: quoniam seductor, quoniam Deo adversarius, aliaque plura, quæ omnia vobis, si penitentiam egeritis penitus dimittito, nulla supplicia sumam. . . . . Quamnam, addit, ob rem? Quia videlicet quisquam esset Christus, ignorabant. Quæ autem, adscit, de Spiritu dixistis, nullam pro eis veniam impetrabitis. Nam si me ignoratis, ignorare tamen non potestis expulsionem Dæmonum, curationesque hominum mirificas Spiritus S. esse operationes. Non ergo mihi sed Spiritui S. contumelias exaggerare conamini. Dicitur autem crimen istud irremissibile, quod significaretur, nulla minus hoc esse ignoscibile ac veniale: quapropter nisi penitentiam egerint, nec in presenti vita nec in futura punitionem effugient.*

Variat tum in eo crimine exponendo, tum in iudicio de ejus irremissibilitate ferendo S. Ambrosius. Namque in Commento in Luc. lib. 10. num. 94. totum ejus scelus in negata Divinitate Filii, quemadmodum & à S. Hilario prælitum supra observavimus, constituit. In libro de Spiritu S. lib. 3. cap. 3. ait: *Si quis Spiritus S. dignitatem & potestatem abneget sempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici Dæmonia, sed in Beelzebub, non potest ibi exoratio esse venia, ubi sacrilegii plenitudo est. Quia qui Spiritum negavit, & Deum Patrem negavit, & Filium. Tandem de Pœnit. lib. 2. cap. 4. Hæreticos & Schismaticos reos damnat peccati in Spiritum S. de irremissibilitate verò aliquando ita agit, quasi omnem præcidat crimini illi spem veniæ; alibi tamen non obscure docet, Ecclesiam veniam omnibus indulgere, quos seriò pœniteant, quocumque tandem crimine irretiantur.*

Hæc S. Ambrosii sententia crimen in Spiritum S. de crimine hæresis exponentis, sedisse etiam Augustino Serm. 71. n. 34. videtur; docet enim hæresim, unionis vinculo, abscisso J. C. separare nos, ab Ecclesia interdiceret, extra quam nulla spes veniæ remaneret: *Quia hoc sibi clausit ubi remittitur. Author Constitutionum Apostolicarum lib. 6. cap. 18. & Philastrius hæresi Rethorii, in eandem sententiam inclinant. Nullum quidem crimen majorem habet irremissibilitatis speciem, quam hæresis; siquidem ad mortem usque in illa perseveretur. Sed hæreticos ad bonam frugem redeuntes in sinu suo semper recepit Ecclesia.*

Author QQ. in utrumque Testamentum inter Opera S. Augustini quest. 102. auctumat, quicumque Deo abrenunciat, illum criminis in Spiritum S. quod nullam promeretur veniam, reum esse (o). Hermas Pastor. lib. 3. similiter. 6. 8. 9. blasphemiam in Deum cum peccato in Spiritum S. confundit; qua in re cum præcedenti Scriptore satis consonat. Magis exactam ejus ideam exhibens S. Pacianus Episcopus Barcinonensis Ep. 3. ad Sympronian. docet, opera S. Spiritus Dæmoni tribuere ipsum esse in Spiritum

o Si idem est negare Dominum, quod peccare in Spiritum Sanctum, nulla venia speranda est negantibus.

Sanctum crimen; tum addit: *Hoc est ergo, [blasphemia in Spiritum S.] quod non dimittetur: Reliqua bonis penitentibus, frater Symproniane, donantur.*

S. Hieronymus plures adducit interpretationes in Textum S. Matthæi de irremissibilitate peccati in hoc præfenti & in altero mundo. Reum dicit hujus criminis, qui Filium Dei malo spiritu agi blasphematur (\*); qui pariter ejus prodigia operationi Beelzebub deputat; illi omnes nullam promerentur veniam. Ita pariter quicumque aliqua in Filium Dei effuderit, uti merum esse, putumque hominem, filium Fabri, hominem potatorem, & cætera, hic fanè quamquam culpâ non caret, erroris tamen habet veniam, propter corporis vilitatem. Qui verò inspecta S. Spiritus operationi nequitia spiritu damnat, calumniatur, & reprobat, illi nulla veniæ spes (p).

S. Clemens Papa (q) censet, peccato in Spiritum S. irremissibili damnari illum, qui obfirmato in malitia animo, in Deum veluti collato pede deceriat; quod Scripturæ phrasi diceretur contra Deum adversum incedere (r), vel peccare elatâ manu (s). Ita pariter locum Grotius interpretatur, & in exemplum adducit peccatum Core & Symmystarum, qui erectâ contra Deum eervice, injuriam illi in Moysæ famulo ipsius & Aaronè undò eius irrogare ausi fuerunt; adducit & Pharaonis [t], qui obfirmavit in malo animo, quamquam à suis pariter Magis moneretur, digitum Dei esse, quo prodigia adversus illum patrantur; sicut & Ananiæ & Saphiræ (u), qui in Spiritum S. mentientes, subitâ percussu ultione ante Apostoli pedes exanimis ceciderunt; Simonis tandem Magi (x), cui Apostolus S. Petrus denunciavit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Nullam hic Author (y) five Filii five Spiritus S. Divinitatem injuriâ affectam, agnoscit; sed tantum de honore Deo impendendo derogatum aliquid, detrahendumque; quod quidem scelus, juxta ejus sententiam, irremissibile non esset, neque in hoc mundo neque in altero, sed tantum ex eorum numero censetur, quæ utrobique supplicio luenda essent. Verba Judæis faciebat, eorum sese præjudiciis accommodans; quare cum illi crimina sua in hoc mundo expiari arbitrantur penituntine, mœrore, ceterisque corporis afflictationibus, uti jejunio, & humilitatis significationibus die solemnibus Expiationis, vel saltem nece corporis, unde sibi mortientes imprecantur: *Sit obitus meus in expiationem meorum peccatorum*; vicissim autem cum magnum aliquod crimen admisisset, manere sibi censebant in altera vita genus quoddam Inferni, non longius quam per annum duraturi. Cum igitur hæc omnia tenerent Judæi, id tantum insinuavit Magister, contempti Dei crimen neque in hoc mundo sacrificiis & penituntine expiari, neque in altero supplicii Purgatorii, quippe quod lethale esset crimen, cui nulla pro meritis venia danda esset. Non agebat ille quidem de iudicio Ecclesiæ Christianæ; sed tantum ad persuasiones Judæorum, quibuscum

\* Ex Marc. 3.

p Vide eundem Epist. 149. ad Marc. cellam.

q Clemens Rom. seu alius Recognit. lib. 2. c. 23. Vide Not. Coteler. in eum locum. r Levit. 26. 24. 28.

s Num. 15. 30. t Exod. 8. 19.

u Act. 3. 18. 19.

x Act. 5. 3. 9.

y Grot. in Matth. 12. 31.

buseum verba faciebat, attendit. Hæc Grotius.

z In Matth. 12. 31.

Hammondus & Clericus (z) arbitrantur, peccatum in Filium hominis appellari crimen omnium vulgò Judæorum, Jesum Christum tanquam Messiam agnoscere recusantium, quippe cui non omnes quadrate Messia characteres arbitrantur; sicut vicissim crimen in Spiritum S. censent crimen Pharisæorum, qui inspectâ prodigiorum Jesu Christi gloriâ, unde luculentissimum pro ipso argumentum deducebatur, verum tamen esse Messiam & pervicacius negabant, & in apertissima ejus prodigia, ut à Demone patrata, spargebant invidiam. Porro vulgariis Judæorum peccatum, quod eorum potius ignorantia deputaretur, sacrificiis & confessione criminum, nunquam non sacrificiis jungendâ [a] expiatur; eorum verò qui scientes prudentesque peccassent, poenæ excommunicatio, abscissionis, five anathematis five exterminationis subdebantur; nihil enim illis veniæ maneret in Lege, five hostiâ aliqua five expiatione injunctâ; quemadmodum nec ulla erat expiatio criminibus contemptis & impudentiâ.

Catholici Interpretes in duas potissimum abeunt sententias; alii enim S. Augustinum secuti peccatum in Spiritum S. appellant impoenitentiam finalem; alii affectatum eorum nequitiam, qui apertæ veritati resistunt, & prodigia Jesu Christi, quæ maximè habeant explorata & Deo vindicanda esse intelligentes, eâ sunt tamen nequitia, ut Demoni attribuunt. Porro illi ejusdem sunt criminis rei, ac qui cognitæ veritati resistunt, qui se vitis probis opposcentes, calumniis illos exagitant, atque proba illorum opera, quamquam rectissima esse intelligant, de vanitate tamen & hypocrisis accusant. Posterior hæc sententia assertores habet SS. Chrysostomum, Hieronymum, & optimos ferè omnes Commentatores.

Porro Christus verba ad Judæos, nec incognitâ illis loquendi ratione, faciebat; norant proinde illi quid esset peccatum in Spiritum S. quamquam enim nullam adhuc haberent satis exactam S. Spiritus ideam, veluti personæ à Patre & Filio distinctæ; sciebant tamen S. Spiritum ore Prophetarum loqui, patrare ipsorum ministerio prodigia, ac super illos loquendi formulæ: *Exacerbare Spiritum (b); Extinguere Spiritum (c); Spiritui Sancto resistere (d); Blasphemare in Spiritum Sanctum (e); Spiritui Sancto contumeliam facere (f)*. Hæc porro omnia Hebræis erant familiaria.

b Ps. 105. 35. Eppes. 4. 30. Isa. 63. 10. c 1. Thessal. 5. 19. d Act. 7. 51. e Matth. 12. 31. 32. f Hebr. 10. 29.

In his rerum circumstantiis Jesus Dei Spiritum malo spiritui opponit; & Pharisæi maligni Spiritus operationi tribuebant, quæ Jesus Sancti Spiritus virtute patret; hoc igitur totum blasphemiam illorum scelus reputandum est. Ego, dicebat ille Pharisæis, quæcumque in me committeretis omnia ultro dimitterem; vix enim unde ego sim noscere vobis datum est; sed blasphemiam, quas egeritis in Spiritum Sanctum, ea in me patrantem prodigia, qui-

bus nemo prudens refragaretur, non merentur veniam five in hoc mundo, five in altero iudicio.

Distinguebant enim Judæi duo criminum genera, alia sacrificiis, vel temporalibus in Lege præscriptis afflictationibus, vel saltem pœnitentiâ, jejunio, humilitatis significationibus, elemosynis &c. expianda. Aliis sua erant in altera vita supplicia, supplicia, inquam, five temporanea, five æterna. Crimen in Spiritum Sanctum, blasphemiam in opera Dei, neque in præfenti, neque in altera vita dimittebantur; in præfenti quidem, quod capitalia essent; in altera verò, quod æternis suppliciis in illa animadvertetur. Capitale est supplicium in Lege indictum adversus blasphemos (g), seductoresque, qui se Deo afflatos mentirentur (h). Erant illi quidem nescio cujus in Spiritum Sanctum criminis rei, sed multo sanè tolerabiliores præ Pharisæis, qui nihil non Divinum in Jesu Christo agnoscerent. His porro criminibus, præter supplicia hujus vitæ, supplicia in altera vita æterna destinata erant, si quidem seriâ in hac vita pœnitentiâ non expiarentur.

In ea fuisse vulgò Judæos persuasione, non obscure argumentis demonstratur ex Libris Sapientiæ (i), Machabeorum (k), Josephi (l), Philonis (m), & ex Evangelio; nihil enim novi docuit Jesus Christus, cum peccata lethalia inferni poenas manere asseruit. Est etiam recentioribus Rabbiniis torquendis æterno supplicio fontibus, sua gehenna, vel infernus; est & Purgatorium ab inferno nonnisi duratione poenarum distinctum, torquendis proborum animabus, quibus expiandum aliquid remanet.

Erant igitur apud Judæos crimina, quibus in altera vita dabatur venia; erant, quibus omnis eâ de re spes præcedebatur. Judas Machabeus summam 40. drachmarum argenti, quam ex collatio ære comparaverat, Jerosolymam misit, sacrificiis pro salute caesorum in prælio impendendam (n), quibus sacrificiis expiaretur eorum crimen, rapti nempe ex Idolorum fano auri, contra Legis sanctionem (o). Blasphemiam in Spiritum Sanctum inter ea crimina recensebatur, quibus nulla esset spes veniæ in altera vita; quæ scilicet neque supplicii Purgatorii, neque sacrificiis, neque orationibus expiarentur, nihilque ab illis experirentur solatii, five levaminis. Is genuinus hujus loci sensus, quem in nostra hac Differtatione excutiendum suscepimus.

Blasphemiam igitur in Spiritum Sanctum neque in præfenti, neque in alterâ vitâ remittenda, non est cum crimine quocumque lethali à Christiano post Baptismum admisso, uti Origeni, Theognoſto aliisque nonnullis creditum, confundenda. Neque enim ejus se criminis reos nosse poterant Pharisæi, quibuscum Jesus Christus verba miscebat; certum est tamen, peculiare aliquod crimen designare voluisse Jesum; neque omnia æquè crimina suggillasse post Baptismum commissa. Ita pariter hæresis crimen designari eo nomine negamus; cum alieni essent ab eo crimine Pharisæi, &

g Levit. 24. 11. 12. 13. 14. Num. 15. 30. 31. h Deut. 13. 1. 2. 3.

i Sap. 5. 2. Eccl. 2. 1. Eccl. k 2. Mach. 12. 42. 43. l De Bel. 1. 2. c. 7. pag. 788. m De Premiss. & pen. p. 713. & de Profug. pag. 358.

n 2. Macch. 12. 43.

o Deut. 7. 25.